Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

facinorum. quoniam te non sequerer ad in-
dulgenciam peccatorum. Tu caput no-
strum es. quocumque ierit caput. mem-
bra necesse est ut sequantur.
Interea dum hec loquerentur. nox
inicium sumpsit. Incipiens autem
ympnos deo canere cum diacono
suo episcopus. totam noctem orando et
psallendo pertransiit. simul habens
afram cum suis puellis consortem.
Mane autem facto episcopus narcissus ce-
pit inquiri. dictumque est afre. Ubi
sunt qui ad te introierunt. Illa autem
dixit eis. Hospites amatores mei
manserunt hic. et abierunt ad sacrifici-
um. Illi autem audientes illos ille
ad sacrificium. putabant eos ad capi-
tolium uel ad templum abisse.
Alius quoque discedentibus remansit
unus ex eis qui dicebat. Ego
cognoui eos sero ad te uenis-
se. et scio quia christiani erant. nam omni
hora signabant frontes suas signo
crucis. in qua christus eorum passus est.
Dicit ei afra. Ad me meretricem
haberent intrare si christiani essent.
Ad me non ueniunt. nisi qui similes mei
sunt. Abiit ille et nunciauit omnia
que dixerat queque audierat. His quoque
his ita gestis. Quaerebant eos.
Abiit afra ad matrem suam
hilariam. et dixit. Episcopus christia-
norum uenit ad me nesciens quo
intraret. et tota nocte expandens
manus suas ad deum suum. cantans
quod nouit nos fecit simul orare.
Circa uero pullorum cantus extincto
lumine cicindili cepi festinare
ut incenderem et non potui. Tunc dixit
mihi diaconus eius. Noli querere lu-
men extinguibile. modo tibi osten-
ditur lux que extingui non potest. Et
cum dixisset episcopus ueni lux mea
de celo ostende faciem tuam et salui
erimus. uenit fulgor de celo sicut sol.
et sicut coruscacio ante tonitruum.
et non recessit antequam aurora inciperet.
Et dum oracionem finisset. iussit nos se
respondere et dicere amen. Et lux ful-
goris illius paulatim recessit ab oculis
nostris. Post hec misi me ad pedes
eius. et dixi illi. Domine inuria tibi
grandem fecisti quod ad me introisti.
sum enim mulier peccatrix. Et ille
dixit. Quo me deus me⁹ iussit in-
gredi introiui. Circa diei uero horam
terciam ostenderunt se mihi qui eis ante
lucem insidiati fuerant. ut exeuntes
tenerent et occiderent eos. Sed cum non
exissent. conuenerunt ad me. Ego uero
ubi fasces lini habeo abscondi eos.
et timeo ne scrutentur locum illum. Sed
si iubes domina mater huc eos transire fa-
ciam. quia promisit mihi episcopus dicens.
Facio te christianam. et omnia peccata tua
Audiens hec diluuntur.
mater eius. gaudio repleta dixit.
Prestet deus ut et mihi hoc
contingat. Cui dixit afra. Ergo
nocte ueniente duco eum huc. Respondit
mater eius. Etiam si noluerit roga
eum. Uespere autem facto. rogauit
sanctum episcopum narcissum ut iret ad ma-
trem eius. Ingresso autem eo domum
factum est gaudium magnum. ita ut
hilaria per tres horas teneret plantas
eius et diceret. Obsecro te domine ut et
me facias mundari a peccatis meis.
Tunc sanctus narcissus episcopus dixit ei. Beata
est fides tua. que antequam discerens